

P R A E F A T I O.

musq; magnum subeundum admitti uult: hâcque de causa iam dudum mecum perpendi qui possem V. R. mihi attrahere, & gratiam cum illis inire, quo aliquando eorum patrocinio uti possem. Huic itaque meâ sollicitudini per commodè accedit patris mei in bonis authoribus, antiquissimorumque monumentis luci restituendis diligentia: ex quorum numero hic quoque MARSILIUS FICINVS FLORENTINVS est, cuius lucubrationes in duos Tomos distinctas hoc semestri impressit, quorum priorem Reuerendissimo, ac Illustrissimo Domino, Domino Martino, Duci, Episcopo Vratislauiensium, & supremo Capitano utriusque Silesiæ inscribere uisum fuit: hunc uerò alterum V. R. qui uiri huius, quas alijs bonis authoribus prophanis & sacris elucidandis conscripserat, commentationes & annotationes continet, quorum nomina ordine hîc recensuisse fortasse non ineptum fuerit. Meritò itaq; Christianæ religionis professor ille Dionysius Arcopagita Atheniensis, à Paulo Apostolo conuersus, Philosophus & Theologus, Platoniorum culmen, Christianorum uerò columen, ethnicis antepositus, & primum locum occupat, cum ob religionis prærogatiuam, qua salui futuri sumus, tum etiam doctrinam, nunquam satis laudandam: in cuius adeo præcipuos duos libros commentaria illa Marsilius reliquit, quorum prior ad beatum Timotheum Ephesinum Episcopum, de mystica Theologia: alter uerò de Diuinis nominibus scriptus fuit. Martyrio coronatus fuit diuinus ille Dionysius sub Domitiano Imperatore, Anno Domini xcvi. ætatis uerò sue nonagesimo, in agro Parisiaco, ubi & sepultus iacet. Sequuntur postea in omnia diuini Platonis opera, Epitomæ, seu Argumenta, Commentaria, Collectanea, simul & Annotationes pulcherrime quòtquot extant à Marsilio conscripta, eleganti profectò stylo ac succinctè, ita tamen ut ipse Plato in eis comprehendatur. Huius Platonis laudes, aut uitam hoc in loco celebrare superuacaneum foret: in libris enim Epistolarum abundè satis celebratur, ut hîc nihil opus idem agere. Tertium sibi locum uendicant Commentaria in Plotinum Philosophum nō minus eximium, qui castitate morum, & pietate haud facile cesserit, sed uiri huius uitam Porphyrio Platonico conscriptam in principio ipsorum Commentariorum reperies, ubi laudes eius ex instituto tractantur. Quarto loco exhibentur eiusdem Commentaria in interpretationem Prisciani Lydi super Theophrasti librum de Anima, ubi multa Christiano homini scitu dignissima explicantur: scire enim decet quemlibet animæ suæ statum, unde orta sit, & quò demum reditura. Hunc postea sequitur Mercurius Trismegisti Pymander, de potestate & sapientia Dei: eiusdem quoq; Asclepius de uoluntate Dei, qui ex alta uetustate per tot retro sæcula, per tot item peregrinas linguas, tandem Latio per hunc nostrum Philosophum donatus ac reseruatus, ne omnino interiret, cui non modò ob sanctum uenerandæ uetustatis reuerentiam causa laboris plurimum debemus, sed & ob singularem & multifariam doctrinam, quam Aegyptij primum ac barbari, mox etiam prisca Christianorum Theologi admirati sunt. Huius Mercurij uitam ex Fulgosi Genuensis, libro 8. capite 16. desumptam huc apponere libuit, quò melius V. R. percipere possent, qualis hic author fuerit: de hoc ergo ita

ille